

modo Deo, et imperatore sequente Deum, hæc gubernare mediocriter et mansuete valente. — § 2. Si vero quisquam utatur aliquibus sacris formis, siye pragmaticis, siye aliis, de tali quodammodo sibi largitis: erant omnino infirmæ, iudicibus maximam solventibus penam, si omnino susceperint: et non hoc quod fit, solummodo meditabuntur, sed quod etiam faciendum est: etenim si posthac tale aliquid impetretur ab aliquibus nostrorum subjectorum, aut ab alio quolibet, quibus prius interdiximus, inter quos complectimur (sicut dictum est) ecclesias, et venerabilia monasteria, et sacras nostras domos, et sacra privata, et sacrum patrimonium: neque hoc omnino valebit. Erit autem hæc lex ubique suam juste extendens virtutem, et simul quidem futura caute constituens, simul autem quod præterit curans. — § 3. Scitote igitur omnes subjecti, quos Deus nostris progenitoribus et nobis donavit, quoniam hanc vobis damus legislationem, omnem vobis cautelam conferentes: et neque itinere fatigabimini longiore, neque adversus maximos lacrimabitis: neque nos culpabitis tanquam hæc non corrigentes: sed unusquisque de proximo respiciens penam, in quibus forte damnificatur atque læditur, et hanc curam videns, magnum et bonum laudabit Deum, qui hæc nos sancire bene et juste illuminavit. Sit ergo pena talia committentibus aut suscipientibus iudicibus et cinguli casus, et decem librarum auri damnus.

EPILOGUS.

Gloriosissimi igitur præfecti nostrorum sacrorum prætoriorum, qui per omnem subjectam terram consistunt, legem hanc cognoscentes proponant, et per dioceses sub se constitutas, et in omni Italia, et Libya, et insulis, et Oriente, et quodcumque in Illyrico est: ut sciant omnes, quomodo eorum curam habemus, Deo qui tanta nobis contulit offerentes legem: qui magnam nobis pro eis recompensationem dabit, dum talia pro causa subjectorum salutis sanciverimus: proponatur Constantinopolitani civitatis nostris. — Dat. kal. Jun. Constantinop., imp. JUSTIN. P. P. Aug. anno 12, JOAN. V. C. CONS.

TIT. XXV.

UT ORDINARIE PRÆFECTURÆ URBANÆ ET PRÆTORIANÆ DUE ET PRÆFECTURÆ QUÆ IN CINGULO ET QUÆ IN ACTU SUNT, SOLE, NON ETIAM HONORARIE LIBERENT A CURIALI FORTUNA.

NOVELLA CONSTIT. LXX.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patricio.

PREFATIO.

Plurima horum quæ olim sancita sunt, neglecta, et non facile in republica tractata, omnino visa sunt absque lege et sine legislatione consistere. Novimus enim quia antiquitas erat quedam præfecturæ figura, quam honorariam vocabant, codicillis ab imperio super ea collatis: hanc autem ita nominabant, ut nihil aliud nisi purum honorem iis, quibus præbebatur, conferret, quæ curiales non liberabat a fortuna curiali, nisi quis eam ipso opere ministrasset: et sicut de gloriosissimis magistris militum videbimus, quia nullus ex magisterio armorum eripitur fortuna curiali, nisi cum opere gesserit, (nam et magisterium militiæ præfecturam esse nostræ dicunt leges: puri vero magistrorum militiæ codicilli solam præsentem dignitatem, fortuna non liberantes,) sic etiam in ipsa præfectura si futurus sit aliquis liber hujusmodi fieri fortuna, necesse est in ipso cingulo designatum, ab ea curiæ vinculis liberari.

CAP. I.

Renovamus igitur hujusmodi legem, sancientes, si quando visum fuerit imperio honorare curialem, ut etiam liberet fortuna, dare ei codicillos administrationis, et præparare eum in talibus constitutis sedibus aut cingulis urbana præfecturæ senioris Romæ, et novæ videlicet hujus nostræ, aut in prætorianis tribunalibus, et Orientis, et Hesperiæ, et Libyæ nec non et Illyrici: quos omnes sub nobis fecit Deus: et ita libertate frui, quatenus magno promeriti honore, et in carpentis vecti, et clamores præconum audientes, insuper judiciales conscendentes sedes, hujusmodi fortuna liberi constituentur. Si vero solo eos participare voluerit honore,

11. l. 13, C. de sentent. et interloc. — 12. N. 79, c. 2.
Tit. XXV. — 1. N. 38, in pr.

fieri quidem codicillos, et his dari: tantum vero valere hujusmodi imperialem largitatem, ut ille honoratus quidem sit, et maximæ curiæ pars esse videatur: non tamen neque provinciali curia, neque ejus albo liberetur: sed maneat sub antiqua fortuna, solum lucratus honorem: et ita gratias agens Deo et imperio, quia migravit, eum ad meliora prioris tranquillitatis educens. Sitque etiam hoc additamentum imperialium præmiorum, quod neque publicum minuit, neque fortuna, neque consuetis ei functionibus privans curialem: et ei qui hanc promeruerit, etiam præsentem addens fortunam, et ostendens honoratiorem, et aliis curialibus dignitate solummodo præcedentem.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, tua celsitudo servare festinet: sciens quia neque curiales minuiimus, et honoratiore eos omnibus demonstravimus: ut sciant hæc civitates per tua præcepta, quatenus imperio datur. — Dat. kal. Julii CP., imp. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 12, JOANNE V. C. CONS.

TIT. XXVI.

UT AB ILLUSTRIBUS, ET QUI SUPER EAM DIGNITATEM SUNT, OMNIMODO SUPER PECUNIARIIS CAUSIS, SED ET INJURIARUM CRIMINALITER PER PROCURATORES DICANTUR: CLARISSIMIS AUTEM IN PECUNIARIIS LICERE EIS ET PER PROCURATOREM ET PER SE LITIGARE.

NOVELLA CONSTIT. LXXI.

Idem Imp. JUSTINIAN. AUG. Joanni gloriosiss. prætoriorum per Orientem præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Quæcumque procedunt quidem quasi honoris causa, schematis melioris sunt: quod autem hinc eventum, non honorem, sed forsitan etiam quandam læsionem inferens, hoc bene habere iudicamus brevi mederi lege. Pertur enim quibusdam constitutionibus, ut nulli clarissimorum liceat per se litem exercere, sed per procuratorem omnino. Sed hanc quidem antiquitas pro dignitatum honore scripsit: multos autem conspicimus dignitates quidem adeptos, et inter clarissimos inscriptos, aut comites, aut tribunos, vel si qui alii consistunt hujusmodi: substantiæ vero minoris dominos, ut penitus non sufficiant ad procuratores ordinandos, et propter hoc agendas expensas.

CAP. I.

Sancimus igitur usque ad magnificentissimos illustres hæc valere, et modis omnibus eos per procuratores pecuniarias exercere causas: nec non etiam injuriarum per procuratorem criminali modo movere, secundum quod datum est eis super hoc privilegium: ne cogantur aut sedere cum iudicibus cum iudicant: aut stare rursus tanquam litigantes: ex utroque enim causa videtur incauta, aut dignitatibus injuriam sustinentibus, aut judiciali schemate indigne procedente. Post magnificentissimos igitur illustres, omnibus licentia sit volentibus procuratores ordinare, et per se lites exercere, nulla ex hoc neque prohibitione, neque damno, neque pena inferenda eis.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia, quæ visa sunt nobis, et per hanc sacram declarata sunt legem, omnibus faciat manifesta, quæ moris sunt super his agens. — Dat. prid. non. Jun. Constantinop., P. P. imper. DN. JUSTIN. AUG. anno 12, JOANNE V. C. CONS.

Tit. XXVI. — 1. l. 25, C. de procuratorib. — 2. Authent. Hoc jus, C. d. 1. — 2. l. 1, C. de injur. — 4. l. 3, C. ubi senatores.

COLLATIO SEXTA.

TIT. I.

UT HI QUI OBLIGATAS SE HABERE PERHIBENT RES MINORUM AUT OBLIGATI SUNT EIS, AD EORUM GUBERNATIONEM PENITUS NON ACCEDANT: ET CURATORES NULO MODO SUSCIPIANT CESSIONES ADVERSUS EOS: QUORUM CURATIONEM AGUNT, AUT EGERUNT: HÆC AUTEM GENERALITER VALEBUNT IN OMNI CURATIONE, IN QUIBUS PERSONIS LEGES CURATORES PRÆBENT: ET DE GUBERNATIONE PECUNIARUM COMPETENTIUM EIS, QUORUM NEGOTIA ADMINISTRANTUR: ET QUANDO EAS RECONDJ AUT MUTUARI OPORTET, AUT EX EIS REDDITUS COMPARARI.

NOVELLA CONSTIT. LXXII.

Imp. JUSTIN. AUG. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patricio.

PREFATIO.

Omnia quidem legislatori reipublice in magna cura sunt, quemadmodum optime se habeant, et peccati nihil relinquatur: præcipue autem instrumenta minorum, et quæ circa eos curatio est, studiosa cura est eis qui proferendi leges a Deo licentiam perceperunt: dicimus autem de eo qui imperat. Multas itaque causas audivimus, ubi administrantibus curatoribus cessiones factæ sunt adversus minores, siye puberes, siye impuberes quidem, in secunda tamen ætate constitutos: et mox efficiuntur eorum domini facultatum, aut non existentia forsitan debita subeuntes, aut parvo pretio cessiones accipientes, eorum quæ sunt undique fragiles: aut etiam celantes de suscepta existentia in minorum rebus, et ita cessiones accipientes secundum multas et plures occasiones. Quid enim homo ad malitiam semel deditus non adveniatur, ut minorum res proprias faciat?

CAP. I. Quotutores vel curatores pupillo vel adolescenti esse non possunt.

Hæc omnia lege corrigere volumus, præcipue illud, ut si quis obligatum habuerit minorem, aut ejus res: hunc non omnino ad curatorem ejus, vel si a legibus vocetur, accedere, quid enim non agat pro se dominus ejusdem existens, et adversarii rerum detentator nuper effectus? Propter hoc enim et illud sancimus, ut si apertissime manifestum est, quia is qui sit administrator, ipse est juri minoris obnoxius: neque ipse curator erit, necubi aut cautionem furetur, aut alias probationes quæ erant minoris, corrumpat: et curatio fiat ei rerum interitus propriarum. Hoc itaque lege tutissima colligetur, ut nullus eorum qui obligatas perhibent habere res defuncti, ipsumque minorem et ejus res, aut etiam qui aperte obligatus existit, ad curatorem ejus accedat: neque habeat licentiam tale aliquid agere.

CAP. II. Ut tutori qui factus est pupilli debitor aut creditor, curator adjungatur.

Sed et si quis jam eorum gerens, obligatum sibi effectum habeat minorem, in se forsitan hereditate perlata cuspis, qui minorem habuit obligatum, aut alia hujusmodi occasione: non jam solum eum esse fidelem ad impuberem aut adolescentium curam, sed conjungi tutorem alteram aut curatorem, (hoc quod in plurimis legum casibus invenimus) ad custodiendum ille, ne fiat adversus adolescentem, aut ejus substantiam, ab eo, qui eum habet obligatum, in medio ulla malignitas: sed hoc ipsum observet, ejusque jurandum, jurans in ordinatione, quia hoc custodiet, etiam eam, quæ ex proditione ad concuratorum pena est, reformidans.

CAP. III. Ut a tutela vel cura nullus debitor prætextis excuseur nisi hoc probaverit.

Ut autem non demus recusationem omnibus hominibus tutelæ vel curæ, si dicant quia obligatas habent res adolescentium, aut aperte obligati sunt, sancimus, si quis dixerit obligatum se habere minorem, aut ejus res, aut etiam minoris parentes, mox ostendere hoc ipsum recusationis tempore apud eum qui dedit curatorem, et absolvi: aut si incertum est hoc, præ-

Tit. I. — 1. Abrogatur l. 8, C. qui dare tutores l. 7, C. de excus. tut. — 2. Abrogatur l. 12, D. de reb. eor. qui sub tut. — 3. d. l. 8, C. qui dare tut. — 4. d. l. 7, C. de excus. — 5. Authent. Minoris, C. qui dare tutores — 6. Fac. l. 6, § 15, D. de excus. tut. — 7. d. l. 12, D.

beat ad sancta eloquia jurandum, quia ex veritate obligatum eum se habere credens recusat: et si hoc factum fuerit, tutelam non contingere, neque curam: sed eum ab ea re procul expelli, ne ex hoc ipso hostem, et non curatorem adolescentulo præbeamus.

CAP. IV. Si tutor vel curator se debitorem vel creditorem esse ab initio tacuerit.

Si vero tacuerit in initio hoc, et factus fuerit curator: sciat omni actione adversus minorem, si vera fuerit, se casurum, propter hoc quod ex studio adversus hanc nostram legem firmetur. Sed si quis aperte obligatus existens tacuerit, sciat etiam iste, quia sustinebit penam, quod non possit redhibitionibus aut aliis solutionibus debiti se miscere tempore curationis forsitan arte compositis.

CAP. V. Ut curatores nullo modo cessiones suscipiant adversus minores.

Quod si quis (sicut dictum est) factus curator, deinde minoris res fuerit perscrutatus, et cessiones in semetipso, aut per donationem, aut per venditionem, aut alio quolibet egerit modo: sciat omnino infirmum esse quod ab eo fuerit factum: et neque per se, neque per interpositam personam tale aliquid agi: sed undique invalida hæc talia fieri, tanquam si neque ab initio facta fuerint. Manifestum est namque, quia si in talium cogitationem inciderit, omnia agi et disponi ad interitum suæ animæ, et ad rerum, quæ ejus quasi videntur, utilitatem. — § 1. Et non solum donec fuerit curator, prohibemus eum ab hujusmodi cessione: sed neque postea gerere concedimus: ne forsitan hoc considerans, abscondat rem, et præordinans illud male, postmodum dum a cura cessaverit, et latere fecerit quod maligne egerit, forte jam nunc non curator existens cessionem accipiat, et rem maligne disponat. Tunc enim infirmum esse volumus quod agitur, et non posse ullam actionem valere cessam adversus eum, cujus prius curam administraverat, sed pro non factis id esse, et lucrum fieri adolescentis: licet hæc cessio pro veris causis facta sit: non tunc rursus ad eum qui cessit, tanquam si nihil quasi in medium contra legem visum fuerit actum: sed cadat ab eis, quæ ex hoc sunt quesita propter transgressionem nostræ legis, et hæc minorem lucrari. Nam si non hanc imposuimus penam: facilia erunt ea quæ sunt malignitatis, et eum qui cessit, faciet iterum movere: et per medium ea que sunt cessionis, recipiet, legem per suam malignitatem circumveniens. Et hæc dicimus in omni curatore, in quibus omnino curas aliquorum introducunt leges, prodigorum forte, aut furiosorum, aut amentium, aut si quid aliud jam lex dixit, aut si quid inopinabile natura adinvenit.

CAP. VI. De administratione pecuniæ pupilli vel minorum.

Quoniam autem videmus curatores, quicumque Dei memoriam habent, ad curam difficulter accedere (nam plurimis volentibus ea que minorum sunt impie in se vertere, amabilis est res et appetibilis) videmus autem præcipue difficilem esse curatorum causam propter fœneratorum necessitatem: sancimus nullam necessitatem ex legibus esse curatoribus minorum pecunias fœnerare, sed caute reponere et reservare: quoniam melius est eis in antiquis tutamen manere, quam usurarum appetitione etiam antiqua pecunia cadere, et periclitari quidem curatorem, si non mutuaverit, rursus autem si mutuaverit, periculum sustinere, facti forsitan in debitis detrimento. Si vero ipse sponte mutuari voluerit, sub obligatione forte pignorum, aut sub aliis, quæ putantur indubitata, cautelis: tunc habeat quidem duorum mensium per singulos annos inducias, hoc quod leges laxamentum vocant: sciat autem mutui periculum omnino ad se venturum.

CAP. VII.

Si vero habeat redditus sufficientes, is cujus cura administratur, eos expendat. Si vero plus sint, quam sufficiat, quod plus est, reponat. Quod si mobilis forte ejus cujus cura administratur, substantia est: tunc illud solum mutuari curator cogatur, quantum ad dispensationem sufficit adolescenti, ejusque rebus: quod vero plus est, caute recondatur. Licet autem ei cum omni subtilitate perscrutari, si aliquos forsitan invenire caute poterit redditus, et comparare minori ex abundantibus pecuniis, modicis functionibus publicis obligatos: venditorem vero habentes idoneum, et opulentos redditus existentes: damus enim ei licentiam et hoc agere: scienti quia si quid horum neglexerit, hujusmodi emptio ipsam respiciet periculum.

CAP. VIII.

Si vero tantum solummodo sit minoris aurum cujus usura vix eum et qui ejus sunt pascere, et aliquam aliam ei præbere vitæ dispensationem sufficiat: tunc necessitatis ratio nos etiam ad hoc vocat, ut cura-

de reb. eor. qui sub tut. — 8. Authent. Novissimo, C. de administr. tut. — 9. Abrogatur l. 12, § 1, l. 13, l. 58, § 3, D. de administr. et peric. tut. l. 24, C. de administr. tut. — 10. Authent. Quod nunc, C. de curat. furios.

tores respicientes ad Deum, ita faciant gubernationem tanquam in suis rebus. Etenim volumus dum celebratur decretum quod tradit curam ei qui ad eam accedit, etiam iurandam eum dicere sacrosanta Dei Evangelia tangentem: quia per omnem pergens viam, utilitatem adolescentis agat, quod tamen non excipiet eum a ratiociniis, neque a legis ordine, sed cautorem faciet ad rerum gubernationem, timentem semper circa eas, propter iurandam memoriam faciam. Hæc lex a nobis pro cautela sit posita horum qui curatoribus indigent. Si quid vero et aliud adinvenimus, neque hoc lege completi pigebit: ut per omnia patres eorum, qui sibi auxiliari nequeunt, existamus.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia, quæ visa sunt nobis, edictis per provincias quibus præes, utens, omnibus faciat manifesta: ut nullum lateant, quæ a nobis pie et pro subjectorum providentia sancita sunt. — Dat. kal. Jun. CP., imper. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 12, JOHANN. V. C. CONS.

TIT. II.

DE INSTRUMENTORUM CAUTELA ET FIDE, ET PRIMUM DE DEPOSITO², ET MUTUO, ET ALIIS³ DOCUMENTIS PRIVATE QUIDEM SCRIPTIS, HABENTIBUS AUTEM TESTES, ET DE NON HABENTIBUS TESTES: ET DE INSTRUMENTIS PUBLICE CONFECTIS: ET DE COLLATIONIBUS MANUS PROPRIÆ SCRIPTURÆ: ET DE EXPOSITIS INSTRUMENTIS AB ILLITERATIS, AUT PAUCAS LITERAS SCIENTIBUS, ET DE NON SCRIPTIS CONTRACTIBUS: ET DE CONTRACTIBUS USQUE AD UNAM LIBRAM AURI: ET DE CONTRACTIBUS QUI IN AGRIS FIUNT! ET UT IN DOCUMENTIS ET CONTRACTIBUS FUTURIS LOCUM HABEAT LEX.

NOVELLA CONSTIT. LXXIII.

Idem Imp. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patrio.

PREFATIO.

Novimus nostras leges⁴ quæ volunt ex collatione literarum fidem dari documentis, et quia quidem imperatorum super exescente jam malitia eorum qui adulterantur documenta, hæc talia prohibuerunt: illud studium falsatoribus esse credentes, ut ad imitationem literarum semetipsos maxime exerceant, eo quod nihil est aliud falsitas⁵, nisi veritatis imitatio. Quoniam igitur in his temporibus innumeris invenimus falsitates in judiciis multis, quorum fuimus auditores, et quoddam inopinabile ex Armenia nobis exortum est. Oblato namque commutationis documento, et literis dissimilibus judicatis, quoniam postea inventi sunt ii qui de documento testati sunt, subscriptionem subdentes, et eam recognoscentes, fidem suscepit documentum, et quoddam hinc inopinabile occurrit, eo quod literæ quidem sine fide visæ sunt, licet examinata responsa verorum testium eam veritate concordaverunt: et hoc per fidem testium, quæ videtur quodammodo esse cautâ; videmus tamen naturam ejus crebro egentem rei examinatione, quando literarum dissimilitudinem sæpe quidem tempus facit, non enim ita quis scribit juvenis et robustus, ac senex et forte tremens, sæpe autem et languor hoc facit: et quidem hoc dicimus, quando calami et atramenti immutatio, similitudinis per omnia aufert puritatem, et nec invenimus de reliquo dicere quanta natura⁶ generans innovat, et legislatoribus nobis præbet causas. — § 1. Quia igitur imperium propterea Deus de cælo constituit, ut difficilibus imponat quæ apud eum sunt bona, et leges aptet secundum naturæ varietatem: propterea existimavimus oportere et hæc scribere sanctionem, et dare in commune subjectis, quos nobis Deus et prius tradidit, et paulatim semper adjiciet. Etenim quiddam de deposito in scripto dabitur et ad contentione: deductum invenimus, et oportet etiam omnino horum prospicere: itaque illis nobis est a deposito inchoandum.

CAP. I. De instrumentorum cautela et fide: et primum de deposito, quemadmodum cautè dari potest.

Si quis igitur vult cautè deponere, non soli credat accipientis scripturæ, (hoc quod etiam in iudicio quaestum est, quia enim non professus est is qui scripsisse dicebatur, suam esse scripturam: magnum res habuit tumultum et scribere alia coactus est, quæ visa sunt veluti similia

TIT. II. — 1. Lib. 22, D. 4; Lib. 4, C. 21. — 2. c. 1, e. 2, infr. hic. — 3. e. 3, infr. eod. — 4. N. 46, c. 2. — 5. L. 23, D. ad leg. Corneli. de falsis. — 6. N. 74, c. 1. — 7. Authent. Si quis quit, C. qui potiores. — 8. L. 20, C. de fide instrum. — 9. L. 15, C. d. t. — 10. L. 1, D. de

quidem, non tamen per omnia similia, et quantum ad illam scripturam sine termino causa permansit) sed is qui depositum dat, advocet etiam testes, ut possibile est honestos et fide dignos, et non minus tribus: ut non in sola scriptura et ejus examinatione pendamus: sed sit iudicantibus etiam testium solatio. Etenim tales testificationes suscipimus, quas præsentibus dicant: quia his præsentibus subscripsit qui documentum fecit, et hunc noverunt. Nam si invenimus et tales quosdam testes non minus quam tres dignos fide existentes: neque talem interdum fidem: neque enim ut abbreviemus probationes, ponimus legem: sed ut esse eas et cautè esse faciamus.

CAP. II. Quemadmodum sine tabellone instrumentum mutui vel depositi cautè fieri potest.

Sed et si quis aut mutui instrumentum, aut alterius ejusmodi faciat, et noluerit hoc in publico confiteri, quod et in deposito definivimus, non ex ipso videatur credibile quod scribitur super mutuo documentum, nisi etiam testium habeat præsentiam fide dignorum non minus trium⁸: ut sive veniant, et propriis subscriptionibus attestentur: sive alii quidam testificentur, quia præsentibus eis confectum est documentum: fidem causa ex utroque percipiat, etiam literarum examinatione penitus non repulsa, sed sola non sufficiente, augmento autem testium confirmanda.

CAP. III. Si literarum fides a voce testium discrepet.

Si vero tale aliquid contigerit quale in Armenia factum est, ut aliud quidem collatio literarum, aliud vero testimonia: tunc nos quidem existimavimus ea quæ viva dicuntur voce, et cum iurejurando: hæc digniora⁹ fide quam scripturam ipsam secundum se subsistere. Veruntamen sit hoc iudicantis prudentiæ simul atque religionis: ut veracibus potius pro talibus credat: et nos quidem secundum hunc modum existimavimus oportere probari fidelia documenta.

CAP. IV. De instrumentis incaute compositis.

Si tamen quisquam aut deponens, aut mutuans, aut aliter contrahens, contentus sit scriptura sola ejus cum quo contrahit: in ipso erit ut sciat quia in illius fide totum ipse suspendit, et quidem quantum ex scriptura non sufficiens videbitur fides, nisi secundum nostram legem adiciatur documento credulitas, aut præsentia testium coram quibus contractus est factus: aut forsitan novissimum¹⁰ ejus rei refugium invenerit: dicimus autem quod ex iurejurando est, nam non infirmamus quod factum est: nam falsitates et imitationes metuentes, et nudis eis existentibus non credentes, huiusmodi subtilitatem causæ addimus: non¹¹ ut credentes privemus fide sua circa amicos, sed ut quantum possibile est, et perfidiam et aegationem multis reconvincamus modis.

CAP. V. Quomodo tabelliones cautè debeant instrumenta componere.

Sed et si instrumenta publice confecta sint: licet tabellionum habeant supplementum, adiciatur et eis antequam¹² compleantur (sicut dictum est) testium ex scripto præsentia.

CAP. VI. De comparatione notarum.

Oportet autem iudicantes, et si qua signa¹³ invenerint adscripta chartis, etiam hæc requirere, et legere niti. Plurima namque novimus et ex aliis apparuisse, non facile fidem ex literarum aliarum collatione recipere, propter dudum dictas a nobis causas.

CAP. VII. De comparatione literarum.

Si vero moriantur omnes testes, aut forsitan absint, aut aliter non facile sit fidem ex testium subscriptionibus invenire, neque tabello superest qui complevit: (si quidem publice sit confectum) quatenus testimonium perhibeat pro se, aut non est in civitate: sed necesse est omnino collationem literarum suppletiones eorum qui subscriperint, assumere: tunc competens est proparare quidem ad comparationes, (neque enim eas modis omnibus interdiciamus) per omnem autem subtilitatem procedere, et omnino, (si putaverit eis iudex oportere credi,) etiam iurejurandum injicere proferenti: Quia nihil maligni concisus in eo quod a se proferitur, nec quandam artem circa collationem fieri præparans, sic utitur eo, quatenus neque perimatur quicquam omnino, et per omnia munio in rebus fiat. — § 1. In his vero quæ conficiuntur publice documentis, si tabellio venerit, et testimonium perhibuerit cum iurejurando, si quidem non per se scripserit, sed per alium ministrantem sibi, et ille, si vivit, si quidem possibile omnino est eum venire, et nulla causa prohibet ejus adventum, ægritudine forte valida, aut quælibet aliarum necessitatum quæ hominibus accidit. Quod si etiam adnumeratorem habuerit instrumentum, et ipse adveniat: ut tres sint testificantes, et non

iurejur. L. 25, § 3, D. de probationibus; L. 5, C. de reb. cred. — 11. c. 1, in fin. supr. hic. — 12. Exrip. L. 31, C. de donationibus. — 13. Fac. L. 6, in fin. de bon. possess.

TIT. III.

QUIBUS MODIS NATURALES FILII EFFICIENTUR LEGITIMI ET SUI¹, SUPRA ILLOS MODOS QUI IN SUPERIORIBUS CONSTITUTIONIBUS CONTINENTUR.

NOVELLA CONSTIT. LXXIV.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patrio.

PREFATIO.

Recte dictum est a prædecessoribus nostris, et ante omnes a Juliano² sapientissimo, quia nulla lex neque senatusconsultum prolatum in republica Romanorum, videtur ad omnia sufficienter ab initio promulgatum, sed multa indigere correctione, ut ad naturæ varietatem et ejus machinationes sufficiat. Igitur de iis qui ex naturalibus ad suorum jus perveniunt, et multas et varias conscripsimus leges. Ex his autem quæ a natura rerum per singula moliantur, invenientes aliquid deesse iis quæ jam statuta sunt: hoc in presenti corrigimus. Sancitum³ namque est, ut si quis habens mulierem puro sibi affectu consternatam, deinde filios procreaverit, et postea etiam nuptialia fecerit instrumenta⁴, et legitimos ex ea procreaverit filios: neque il qui prius nati sunt, maneat naturales: sed et illi connumerentur suis, eo quod occasio omnino eis sunt nasci legitimos. Sed habuit etiam ista lex correctionem⁵: nam quia secundi et post dotem nati mortui sunt, ideo volebant quidam nequaquam priores a non existentibus adjuvari: et hoc emendavimus, et dedimus eis etiam sic, vel si mortui sunt ii qui secundi fuerunt fratres, habere jura legitima. Illud quoque adjicientes, (quoniam et hoc dubitatum est) ut vel si aliqui filii post dotalia non nascantur, attamen præcedentes licet ante dotalia nati sunt inter suos adscribi, patre quippe ad hoc festinante. — § 1. Sed⁶ et aliud quiddam tale occurrit: ex huiusmodi namque consuetudine nati filii erant alicui: at ille eos volebat a nobis adinvento modo facere suos, nuptialium confectioe documentorum, deliberante autem hoc patre, mortua est mulier, et constitutionis eum deseruit modus. Non enim erat ad quam oporteret nuptiale confici documentum, et naturales manebant filii invito patre. Et quiddam etiam secundum tale exortum est apud viros neque nobis cognitos. Procreavit enim quidam filios non legitime, et filios quidem ultra quam diligebat, et legitimos sibi fieri secundum legem volebat. Ea autem quæ sunt mulieris, non erant omnino sine peccato, neque dignam eam existimavit legitimo quodam nomine, quæ etiam semetipsam injuriaverat, sufficit enim hoc tantum dicere. Quapropter secundus iste modus est, qui filios gravat: in priori quidem post mortem matris: in secundo vero, per id quod illa peccavit. — § 2. Novimus autem etiam quendam tertium modum: pater namque volebat legitimos facere filios: et ad ea quæ dotibus sancita sunt a nobis, respiciebat: filii vero sentientes, quoniam quaedam inopinatè evenissent ad matrem eorum (licet uxorem non legitime existentem, a quodam cognato divite) maligne simul et dolose agentes, matrem occultaverunt, ne eos facere legitimos esset patri possibile, et moriente forte matre, maternorum rerum fruerentur usufructu: hoc quod patribus dat benefaciens iex. Talibus itaque resistens artibus, legis est proprium subtilis, quam in presenti sancimus.

CAP. I. De variis modis legitimandorum filiorum naturalium, et de legitimatione per matrimonium, seu de contracto cum matre naturalium liberorum matrimonio ab ipso patre naturali.

Si quis sane non habens filios legitimos, naturales autem tantummodo, ipsos quidem suos facere voluerit, mulierem vero aut non habet penitus, aut quæ non sine delicto sit, aut quæ non appareat, habeat autem secundum quandam legem ad matrimonium præpeditam: damus ei fiduciam nova quadam et nunc adinventa a nobis via ad legitimum jus perducere naturales, proculdubio suis in talibus casibus non existentibus filiis. Sicut enim quidam a præcedentibus nos adinventus modus est, qui libertos ad ingenuitatem deducit, præmandans quidem eos alio quodam actu, et dans eis aureorum jus annulorum, postea vero ad ipsam deducens naturam, quæ servum et liberum ab initio non discrevit, sed liberam hominis fecit prolem: sic et nos hunc modum adinvenimus causæ: et licebit id patri, ut iis qui dudum a nobis dicti sunt modis, vel etiam si quis alter occurrerit talis: multæ namque, sicut prædiximus, naturæ⁷ sunt novitates. Licet igitur, (sicuti prædiximus) patri, si le-

TIT. III. — 1. Coniunge N. 89: adde § ult. Inst. de nuptiis; Lib. 5, C. 27; N. 32, c. 4. — 2. L. 10, 11, 12, D. de legibus. — 3. L. 10, C. de natural. liberis. — 4. L. 5, L. 10, L. 12, C. d. t. — 5. d. L. 11. — 6. Authent. præterea, C. d. t. — 7. N. 75, in pr.

unus. Si vero neque adnumeratorem assumptus est, et instrumentum ipse tabello totum per se conscripsit, atque supplevit, aut si etiam qui hoc conscripsit, non est, aut aliter ipse venire non valet: tamen cum iurejurando propriæ completioni attestetur, ut comparationi non fiat locus, sint etiam sic credibilia documenta, testimonium enim et ex voce contentis factum, et iurejurandum habens adjectum, præbuit quoddam causæ monumentum. — § 2. Quod si tabellio defunctus est, et testimonium perhibeat suppletioni ex alia collatione: si quidem etiam sic habeat eum, qui conscripsit instrumentum, viventem, et adnumeratorem: adveniant et illi, si quidem præsentibus sunt, et habeat ex collatione adimpletionem et ex testibus causam fidem. Si vero nullus horum sit, tunc fiat quidem completionum collatio: non autem sola hæc ad hoc sufficiat, sed et aliorum subscriptentium forte aut contrahentium scripturæ examinentur: ut ex plurimis comparationibus, tam completionis quam subscriptentium forte aut etiam contrahentium, una quædam colligatur undique et efficiatur fides. — § 3. Si vero nihil aliud invenitur præter collationem instrumentorum: quod hactenus valuit, fiat: ut qui profert ad collationis documentum juret solemniter. Ut autem aliquid omnino causa sumat augmentum ad majorem negotii fidem: et ipse qui hoc petit fieri, juret: quia non aliam idoneam habens fidem, ad collationem instrumentorum venit: nec quicquam circa eam egit aut machinatus est quod possit forte veritatem abscondere: de quibus licebit sese liberare contrahentes, si consenserint utrique ad hoc venire, ut insinuent instrumenta: et profiteantur ea sub gestis monumentorum ipsi contrahentes, quatenus priventer nequitia et corruptione et falsitatibus: et quæcumque alia mala corrigentes, presentem promulgamus legem: iis quæ dudum a nobis in collationibus literarum factarum, per scripturam propriæ manus sancita sunt, in sua virtute manentibus: proculdubio et in iis qui literas nesciunt, quæ olim valent in iudiciis, suam habentibus firmitatem: quoniam quidem ex judiciali forma acceperunt examinationem hæc talia competentem.

CAP. VIII. Imperitii literarum quomodo cautè contrahantur.

Oportet vero in iis qui literas¹⁴ nesciunt, et testes et omnino tabularios adhiberi, in quibus locis sunt tabularii, maxime autem testes non ignotos contrahentibus: ut quidam scribant pro illiterato, aut paucas literas sciente: alii vero attestentur, quia etiam præsentibus eis hæc gesta sunt, et scierunt eum: et ita talium instrumentorum suscipiatur fides, manifestum existens, quia non minus quam quinque testes in his talibus adhibendi sunt, inter quos erit et qui scribit pro¹⁵ contrahente, aut totum [aut post ea quæ] post paucas¹⁶ literas illius posita sunt: quatenus nihil omittant de summa subtilitate. Et hæc dicimus super instrumentis ex scripto confectis: nam si quis facere quemlibet contractum ex non scripto voluerit, hoc manifestum est, quia aut per testes, aut per iurejurandum fidem percipiet: actore quidem testes deducente, pulsato autem jurante aut referente, sicuti iudex negotium disposuerit. Ut¹⁷ autem nihil sit neque horum inemendatum: illud quoque adijcere huiusmodi observationem in hoc minime custodiri: sed secundum hoc quod tunc actum est, causam fieri, ut non de rebus exiguis¹⁸ maximas attritiones homines susineant.

CAP. IX. De contractibus sine scripto compositis.

Hæc autem omnia tenere in civitatibus volumus, nam in agris (ubi multa simplicitas¹⁹ est, et neque instrumentum aut testium multorum copia est) quæ hactenus apud eos valuerunt, et nunc sint etiam firma: hoc enim et in ipsis testamentis quibus maxime studemus, jam a nobis sancitum²¹ est. Valeat itaque lex in omnibus quæ post²² hæc faciendæ sunt instrumentis et contractibus: quod enim jam transivit, cur quispiam sanciat? Hanc autem legem peperit contentionum multitudo factarum quidem in litibus, apud nos autem introductarum quatenus quotidie inter sese contendere homines compescamus, præaferentes eis altercationes per legislationis subtilitatem.

EPILOGUS.

Quapropter convenit tuam eminentiam hæc cognoscentem, manifesta omnibus facere subjectis, et qui hic sunt, et qui in gentibus: etenim ad alios gloriosissimos præfectos, et qui in Hesperia sunt, et in Libya, et qui in Septentrionalibus (dicimus autem in Illyrico) scripsimus, ut omnino nobis respublica plena fiat hæc lege subjectorum medente concussio-nibus. — Dat. prid. non. Jun. CP., imper. DN. JUSTIN. P. P. A. anno 12, JOHANN. V. C. CONS.*

14. N. 44, c. 1, in pr. — 15. Fac. L. 5, § 2, D. de accusat. — 16. L. ult. § 2, C. de iure liber. — 17. Authent. Atsi contractus, C. de fide instrum. — 18. Adde L. ult. C. de certum petatur. — 19. N. 69, c. 1, § 1, § 16. Inst. de rer. divis. — 20. L. 5, C. de defensor. civit. — 21. L. ult. C. de testam. — 22. L. 7, C. de legibus.

gitimam non habeat sobolem, filios restituere naturæ, et antiquæ ingenuitati, si ex libera ei fiant, et suos de cætero, et sub potestate habere: neque enim a principio, quando sola natura sanciebat, hominis (antequam scriptæ provenirent leges) fuit quedam differentia naturalis atque legitimi, sed antiquis parentibus antiqui filii mox ut procedant, fiebant legitimi. Et sicut in liberis⁸ natura quidem liberos fecit omnes, bella⁹ vero servitute adinvenit: sic etiam hinc natura quidem legitimam produxit soboles: attamen ad concupiscentiam diversio naturales eis immiscuit: tanquam ergo similibus passionibus factis, oportet etiam medelam ex qualitatibus inveniri: illam quidem a prædecessoribus nostris, hanc vero a nobis.

CAP. II. De legitimatione ex testamento.

Sit¹⁰ igitur licentia patri matrem in priori statu relinquenti, si ex veritate aliquid circa thorum apparuerit deliquisse, (aliter namque fieri hoc in talibus casibus non permittimus) et si quædam circumventio est, aut non est, aut fateat, aut aliquid etiam aliud fiat circa eam, aut quod prohibeat venire ad viam ducentem ad dotalia: etiam sic providere filios, et offerre imperatori precem hoc ipsum dicentem, quia vult naturales suos filios restituere naturæ, et antiquæ ingenuitati, et legitimum juri, ut sub potestate ejus consistent, nihil a legitimis filiis differentes: et hoc facto exinde filios frui tali solatio: et neque fraudare posse patrem, et celantes matrem, et jus legitimum abjicere. Uno enim hoc modo omnibus hujusmodi naturæ excessibus et adinventibus, in iis qui legitimos non habent filios, medemur, ita brevi solatio tantum naturæ impetum corrigentes. — § 1. Si vero solummodo naturalium filiorum pater hoc quidem propter quasdam fortuitas circumstantias non agat: moriens vero sub quodam prædictorum casuum scripserit testamento, *velle sibi eos legitimos esse filios successores*: etiam hujus rei damus licentiam: supplicanti tamen etiam sic filios post mortem patris, et hoc dicentibus, et ostendentibus patris testamentum, et heredibus existentibus, in quantum pater eos scripserit: et ab imperio hoc percipientibus: ut in uno eodemque hoc quod agitur, sit donum patris et principis: id est, dicere, naturæ simul et legis: et hoc dicimus nullam anteriorem legitimum perimentes modum: sed etiam hunc addentes, in quibus illos accipere non licet, omnino enim suis existentibus deinde naturalibus procreatis, aut primitus natis, nequaquam legitimorum-jus eis adjicitur: nisi forsitan per constitutiones nostras, quæ dotalium instrumentorum introduxerunt modum.

CAP. III. De legitimatione per adoptionem.

Et nos non latuit, quia etiam adoptionis¹¹ modus erat antiquitus ante nos imperatoribus super naturales ad legitimos transferendos non improbabili existimatus: sed æque pie memorie noster pater¹², et constitutio ab illo prolata talia reprehendit. Manere ergo et illam in suis terminis volumus: quoniam castitatem diligenter consideravit: et incompetens est, quæ bene excluda sunt, rursus ad rempublicam revocare.

CAP. IV. Quæ sine dotalibus instrumentis contrahere non possunt Julianus hic num. 245.

Illud quoque melius arbitramur constituere competenter, quod ex plurimo causarum experimento cognovimus: multa quidem et continuæ lites nuntiata nostræ majestati, ad opus nos deduxerunt hujus legis. Quia enim et antiquis promulgatum est legibus, et a nobis ipsis sunt hæc eadem constituta, ut etiam nuptiæ extra dotalia documenta ex solo¹³ affectu valeant et ratæ sint: sed falsatis contractibus nostra ex hoc est completa republica: (nam introeuntes testes sine periculo mentientes, quia vir vocabat *dominam*¹⁴ coherentem, et ista illum similiter nominabat: et sic eis finguntur matrimonia non pro veritate confecta) hoc existimavimus oportere secundum naturales definire leges. Novimus etenim, etsi castitatis sumus amatores, et hoc nostris sancimus subjectis, sed nihil esse furore amoris vehementius: quem retinere philosophiæ est perfectæ, monentis etiam et insipientem atque inhærentem concupiscentiam refrænantis, ut ii qui hoc tali detinentur, si abstinere sermone ad eas quas amant, quæ eis non per blandimenta conferunt: denique in tantum etiam ante nos legislatores talis scierunt animorum affectus, ut etiam donationes¹⁵ constante matrimonio prohiberent: ut non concupiscentiæ magnitudine victi, latenter paulatim conjuges semetipsos privarent sua substantia. Hæc ergo casta lege sancire bene se habere credidimus. — § 1. In majoribus¹⁶ itaque dignitatibus, et quæcunque usque ad nos et senatores, et magnificentissimos illustres, neque fieri hæc

8. N. 89. c. 1. c. 9. — 9. § 5. Inst. de jure person. l. 4. D. de iust. et jure l. 64. D. de cond. iudic. — 10. Authent. Item, C. de naturalib. lib. — 11. Tit. C. de adop. — 12. N. 89. c. 7 et 11. § 1. L. 7. C. de naturalib. lib. — 13. L. 11. in pr. C. de repud. l. 50. D. de reg. jur. — 14. L. 41. ff. D. de legat. 3. l. 29. § 1. D. de annuis: l. ult. § 1. D. de auo. — 15. L. 1. et tot. tit. D. et C. de donat. inter vir. et uxor. — 16. l. de lumen N. 117. c. 4. — 17.

omnino patimur: sed sit omnino et dos, et antenuptialis donatio: et ad omnia quæ honestiora decet nomina. Quantum vero in militiis honestioribus et negotiis, et omnino professionibus dignioribus est: si voluerit legitime uxori copulari, et non facere nuptialis documenta: non sic quomodocumque et sine cautela effuse, et sine probatione hoc agat, sed veniat ad quandam¹⁷ orationis domum, et fateatur sanctissimæ illius ecclesiæ defensori: ille autem adhibens tres aut quatuor exinde reverentissimorum clericorum, attestationem conficiat declarantem, *quia sub illa indictione, illo mense, illa die mensis, illo imperii nostri anno, consule illo, venerunt apud eum in illam orationis domum ille, et illa, et conjuncti sunt alterutri*: et hujusmodi protestationem, si quidem accipere volunt aut ambo convenientes, aut alteruter eorum, et hoc agant, et subscribant ei, et sanctissimæ ecclesiæ defensor, et reliqui tres, aut quantoscunque voluerint: non tamen minus trium literis hoc significantibus. — § 2. Si vero etiam hoc illi non egerint: ille tamen taliter reponat chartam venerabilis illius ecclesiæ defensor in ejusdem sanctissimæ ecclesiæ archivis¹⁸ (hoc est, ubi venerabilia vasa servantur) prædictas subscriptiones habentem: ut reconditum sit omnibus ex hoc munimen, et non aliter videatur nuptiali affectu eosdem convenisse, nisi tale aliquid agatur, et omnino ex literis causa testimonium habeat: his ita gestis, et nuptias, et ex eis sobolem esse legitimam. Hæc autem dicimus, ubi non dotis, aut antenuptialis donationis fit documentum: fidem enim in solis testibus suspectam¹⁹ habentes, ad præsentem venimus dispositionem. — § 3. Quisquis autem in abjecta degit vita, parvæ quidem substantiæ dominus consistens, in novissima vero vitæ parte jacens, habeat etiam in his licentiam. Sed neque agricolas aut milites armatos, et quos lex caligatos appellat, (hoc est viliores²⁰ et obscuriores) perscrutatur, quibus civilium causarum ignorantia est, et solius circa terram operationis, et circa bella concupiscentiæ causa est studiosa, et juste laudabilis: sic ut in vilibus personis, et in militibus armatis obscuris et agricolis licentia sit eis et ex non scripto convenire et matrimonium celebrare inter alterutros: sintque filii legitimi qui patrum mediocritate, aut militares, vel rusticas occupationes et ignorantias adjuvent.

CAP. V. Si divinis tactis Evangelis juraverit quis in domo privata aliquam uxorem fore.

Quoniam autem interpellationibus quæ nobis fiant semper, omnium tamen assidue mulieres audivimus ingemiscetes et dicentes, quia quidam earum concupiscentia detenti, ducant eos in domibus suis sacra tangentes eloquia aut in orationis domibus jurantes habituros se eas legitimas uxores: taliter eas habentes tempore multo, et forte suscipientes filios, deinde dum se satiaverint earum desiderio, aut extra filios, aut cum filiis, eas projicientes de suis domibus: judicavimus etiam hoc oportere sancire: ut si²¹ mulier ostendere poterit modis legitimis, quia secundum hanc figuram vir eam acceperit domi, ut eam uxorem legitimam haberet, et filiorum legitimum matrem, nequaquam penitus licentiam esse ei hanc de domo præter ordinem²² legis expellere: sed habere eam legitimam, et filios suos esse ei: et illam, si quidem indotata sit, nostræ constitutionis uti bonis, quartam²³ substantiæ viri percipientem, sive expellatur, sive prius moriatur vir: non perscrutantibus nobis sive repudio utens dimittat eam, sive etiam sine hoc: neque enim verisimile est eum mittere repudium, qui et ipsas nuptias denegat: sed si eam irrationabiliter expellat de domo, hoc ipsum sit adversus virum justa causa, et mulier hoc facto repudium ei mittat, et exigat quartam, si uxor ostensa fuerit exitisse: licet extra dotem convenerit, jurijurando credens. Quid²⁴ enim agat aliud, quæ ad dotem non est idonea, quam ut semetipsam pro omni dote contradat? — § 1. Sit autem et soboles legitima etiam invito patre. Qui enim ad hoc nuptias fecit, et filios procreavit, ut mulier legitimum ei filiorum fieret mater: non potest ex tali natos germinæ, rursus ut naturales abjicere: neque quasdam postea forte nuptias post mortem uxoris, aut repudium contrahens, eos qui ex illis nascuntur nuptiis, velle habere eos solos esse legitimos: nisi eis etiam illi priores fuerint copulati, quorum similiter pater est, teste existente nuptiarum priorum quidem Deo, secundarum autem lege. Eadem nobis lex pro cautela sit nuptias contrahentium promulgata: et si filii quidem ex talibus processerint nuptiis, erant sui: et his legibus quæ sunt de suis positæ, fruuntur.

CAP. VI. Qui sint filii legitimi, naturales, et neutrum, id est, ex damnato coitu.

Si quid autem præter hæc fiat, non tamen ex conscripta procedat co-

17. l. de lumen N. 117. c. 4. — 18. Far. l. 9. § 6. D. de panis: l. 50. in fin. C. de episcop. audient. — 19. l. de lumen N. 117. c. 4. — 20. Far. l. 9. in fin. D. de custod. l. 21. C. de nuptiis. — 21. l. de lumen N. 117. c. 4. — 22. N. 24. c. 15. § 2. c. 16. § 1. — 23. d. N. 27. c. 15. N. 28. c. 6. § 1. in pr.: N. 117. c. 5. — 24. L. 12. C. qui priores.

pulatione, erunt naturales: et quæ a nobis largita sunt naturalibus, sive ex testamento, sive ab intestato, potentur. Eos enim qui semel ex odibilibus²⁵ nobis, et propterea prohibitis nuptiis procedunt, neque naturales vocari, neque participanda eis ulla clementia est: sed sit supplicium etiam hoc patrum, ut agnoscant, quia neque quicquam peccatrici concupiscentiæ eorum habebunt filii.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et ad hominum medelam, et naturæ plenitudinem per hanc legem statuta sunt, tua celsitudo manifesta faciat universis, programmatibus propositis, per quæ omnibus lex erit aperta, cognoscentibus secundum quem circa talia conversentur modum, et nostram considerantibus providentiam: quia omni occupationi alteri eorum utilitatem præponimus. — Dat. nonis Jun. Constantinop., imper. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, JOANNE V. C. Cons. indict. 705. 0. 0. 0. 0.

TIT. IV.

DE APPELLATIONIBUS SICILIE.

NOVELLA CONSTIT. LXXV.

Sicilia appellationes suscipiat quæstor et interveniant psephismata tam ecclicorum quam patrum.

Epitome ejusdem ex Juliano.

DE APPELLATIONIBUS IN SICILIA PORRECTIS.

Appellationes quæ in Sicilia porriguntur adversus sententias prætoris vel ducis vel cujusvis alterius iudicis in Sicilia constituti, apud quæstorem in hac regia urbe exerceri præcipimus, ut ipse discutat causas provocationis et sententiam dicat, et nostro imperio referat, ut nostra auctoritate sententia ejus roboretur. Sed et si aliud civile emergat, veluti defensoris confirmatio, vel decretum patris civitatis Siciliæ: similiter ad quæstorem referatur, et calculo ipsius confirmetur, nostra scilicet auctoritate suggerente quæstore sequenda.

TIT. V.

HÆC CONSTITUTIO INTERPRETATUR PRIOREM CONSTITUTIONEM, DE IIS QUI INGREDIUNTUR MONASTERIUM, ET DE SUBSTANTIIS EORUM, ET EX QUO TEMPORE OPORTEAT EAM VALERE.

NOVELLA CONSTIT. LXXVI.

Idem Imp. Avc. Joanni glorioss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Causa talis ad nos pervenit, quam existimavimus oportere competenti uti a nobis interpretatione, simul et adjutorio. Cognovimus etenim, quia mulier quedam habens filium sibi ex nuptiis legitimis procreatum, voluit quidem segregare se a communi ista conversatione, et in quodam mulierum monasterio commanere, plurima bona faciens mulieribus reverentissimis ibidem congregatis. Et quoniam nostræ pietatis lex² vult eos qui se monasteriis dederint, seu viros, seu mulieres, antequam ingrediuntur monasterium, eo quo voluerint modo quæ sua sunt disponere, nec posse postquam ingrediuntur monasterium, ulterius agere quicquam de propriis, utpote domini rerum non existentes ulterius, eo quod sanciverimus nos hujusmodi viros et mulieres cum corpore et anima ipso ingressu ad monasterium dedicare se³ suasque substantias, et si quidem discesserint, manere etiam sic eorum substantias in monasterium, eo quod domini harum ulterius non existunt: hinc autem metuere, ne forte quavis nostra constitutio multo posterior sit, quam quod in prædictam venerabilem domum ingressa est, aliquid prohiberent eam prospicere suo filio: et oportere propter prædictum metum hæc interpretari et lege nostra fieri manifesta, quia nihil læsa sit, aut ipsa aut filius ejus circa ejus successionem ex memorata constitutione.

CAP. I.

Propterea sancimus, si quis monasterium habitaverit vir aut mulier

25. N. 89. c. ult. Authent. Ex completo, C. de incest. et inutil. nupt.

Tit. IV. — 1. Authent. N. 104.

Tit. V. — 1. N. 5. — 2. d. N. 5. c. 5. — 3. Authent. Ingressi, C. de sacros. eccles. l. N. 125.

ante prædictam nostram constitutionem⁴, aut hactenus habitat, et maxime filiis existentibus, nullam habere necessitatem nunc eorum substantiam in monasterium, sed filio aut filia transmittere aut totam, aut etiam partem suæ substantiæ: aut etiam quo voluerit modo res suas disponere: utpote primam illam legem alia nostra hac constitutione interpretante, (eos enim qui semel ante memoratam dudum nostram legem monasteria intraverint, in nullo postea posita lex contristatur est, aut ablatura eorum quæ prius eis ut liceat, data sunt) neque prius nostræ legi impedimentum penitus faciente, eo quod neque possibile sit hoc fieri, ut oportuisset prius disponere, et ita ingredi in monasterium. Si vero nulla tunc tali lege posita, in monasterium ingressa est: quomodo fieri poterit converti ordinem legis, et exigere eos qui prius ingressi sunt monasterium, illa facere quæ prius ignorata, postea per sacram nostram constitutionem sunt innovata? Sed unumquemque competit secundum sua tempora expectare, et ea quidem quæ post legem sunt ita querere fieri, sicut lex vult: si quid autem ante legem subsecutum est, hoc non commovere, neque perscrutari, sed in priori figura relinquere.

§ 1. Hæc igitur lex pro interpretatione utili posita sit prioris nostræ illius constitutionis: ut illa in⁵ posterioribus temporibus ex quo facta est, locum habeat: et iis qui postea convertentur viris ac mulieribus posita sit: sibi que potestatem in illis custodiat: nihil horum quæ antea fuerint, perscrutando, cum licentia sit prioribus viris ac mulieribus qui habitaverunt aut etiam hactenus habitant in monasteriis, et maxime filiis existentibus, suas res quo volunt disponere modo.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia, quæ placuerunt nobis et per hanc sacram declarata sunt legem, solenniter per programmata sua omnibus facere manifesta festinet. — Dat. idib. octob. imper. DN. JUSTIN. P. P. A. anno 12, JOANNE V. C. Cons. indictione 2.

TIT. VI.

UT NON LUXURIENTUR HOMINES CONTRA ALIQUID NATURAM, NEC JURENT PER CAPILLOS DEI, AUT ALIQUID HUIUSMODI: NEQUE BLASPHEMENTUR IN DEUM.

NOVELLA CONSTIT. LXXVII.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Constantinopolitani.

PREFATIO.

Omnibus hominibus qui recte sapiunt, manifestum esse putamus, quia omne nobis est studium et oratio ut crediti nobis a Domino Deo bene vivant, et ejus inveniant placationem: quoniam et *Dei misericordia non perditionem, sed conversionem et salutem vult*: et delinquentes qui corriguntur, suscipit Deus: propter quod nos omnes invitamus Dei timorem in sensibus accipere et invocare ejus placationem: et novimus, quia omnes qui Dominum diligunt, et misericordiam ejus sustinent, hoc faciunt.

CAP. I.

Igitur quoniam quidam diabolica instigatione comprehensi, et gravissimis luxuriis semetipsos inserunt, et ipsi naturæ contraria agunt: istis injungimus in sensibus accipere Dei timorem, et futurum iudicium, et abstinere ab hujusmodi diabolicis et illicitis luxuriis, ut non propter hujusmodi impios actus ab ira Dei justa inveniantur, et civitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim a divinis Scripturis, quia ex hujusmodi impiis actibus et civitates cum hominibus pariter perierunt. — § 1. Et quoniam quidam ad hæc quæ diximus, et blasphemia verba, et sacramenta de Deo jurant, Deum ad iracundiam provocantes: istis injungimus abstinere ab hujusmodi, et aliis blasphemis verbis, et non jurare per capillos et coput, et his proxima verba. Si enim contra homines factæ blasphemie impunitæ non relinquuntur: multo magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Propterea igitur omnibus hominibus hujusmodi præcipimus a prædictis delictis abstinere, et Dei timorem in corde accipere, et sequi eos qui bene vivunt. Propter talia enim delicta, et fames, et terræ motus, et pestilentia fiunt: et propterea admonemus abstinere ab hujusmodi prædictis illicitis, ut non suas perdamus animas. Sin autem et post hujusmodi nostram admonitionem inveniantur aliqui in talibus permanentes delictis: pri-

c. 18. — 4. d. N. 5. — 5. N. 29. c. 1. c. 2: N. 24. N. 68.

Tit. VI. — 1. N. 141. — 2. N. 141. d. N. 141. in pr. — 3. Far. l. ut C. si qui imperat. mædici: l. 2. in fin. D. de obsequiis.